



CAPUT XV.

De
VSV HEPATIS.



Olertis Chimici industriam Natura imitari videtur. Quemadmodum enim Chemicus Spiritum, extractum, seu essentiam quandam paraturus, plantam, è quâ desideratum medicamentum evocandum, primò in mortario comminuit, indequè comminutam, cucurbitaqùè inclusam, affusò liquore conveniente, Mariæ Balneo, cinerum aut arenæ calore digerit, putrefacit, extrahit, & coquit; coctam massam à recrementis depurat, depuratamquè novo vasi, Retortæ, Diotæ, Phiolæve pro ulteriori elaboratione, exaltatione & perfectione consequendâ includit: ita Natura cibum primò dentium molendinâ comminuit, in ventriculi Phiolâ inclusum, & potu mixtum ad aliquot horas digerit, fermentat, coquit, coctam massam à retrimētis crassioribus in intestinis liberat, chylûquè educit; quem ulteriq; in pancreate depurat, depuratumquè novo cordis matratio, ut ibi in sanguinem mutetur; & ipsum demum sanguinem hepatis, lienis, renibusq; , ut à sordibus, quantû fieri queat, depuretur, committit. Imò quod maximum, dum Natura sanguinem in corde confectû in arteriâ magnâ emittit, & exinde per venas continuâ circulatione ad cor reducit, quasi Pellicanò cohobatione & exaltationem instituere videtur, in perenni chyli in sanguinem, sanguinisquè in spiritus, carnes, aliasquè partes mutatione occupata. Nimirum

Kk

Nee